THOMAE VALLAURIO QUINTINUS GUANCIALI

Quintino Guanciali

THOMAE VALLAURIO

QUINTINUS GUANCIALI

Estratto dagli *Atti* dell'Acc di Archeologia, Letteratura e Belle Arti

Stamp della R. Università — 1873

VALLAURIUS ET RITSCHELIUS [1]

Vidimus Antaeum victricibus Herculis ulnis
Elisum bilem spargere et ore jecur.

THOMAE VALLAURIO

QUINTINUS GUANCIALI

Tu victor: Latiique observantissimus aequi
Das operam servare fidem, normamque loquendi,
Quam nova barbaries [2], et nunc temeraria turba
Fas omne abrumpens iterum vertigine tentat
Informi miscere Chao novitatis amore!
Atque equidem Latii afflatus tu numine sancto
Deprimis audaces ausus, et spicula contra
Intorques, sacra trudens ex arce profanos.

(1) Porlogo — Th. Vallaurii Acroases ml. Accedunt Animadversiones in dissert. Ritschel. de Plauti poëtae nominibus. — Ritsch. Lucubratiuncula in Vallaurium — Vallauri adnotationes in Ritsch. lucubrat — Appendicula aliquot locorum in quibus Ritsch. in latinitatem peccavit, 1868. —

Et ejusdem auctoris — De locis duobus quos Alfredus Fleckeisenus vitiavit in Captivis plautinis — Augustae Taurinorum ex officina regia an. MDCCCLXXII.

(2) Quoad scriptores, qui sive Itali, sive Exteri illa primigena castitate, et elegantia latinae linguae minime excellunt

Et discant moniti nostros non temnere patres [1]!
Sic latices ipsi magnis e fontibus edunt,
Ut quamvis aliena suos gens imbuat hortos,
Fontibus aeternis haud unquam vena recedit!
Et tibi dulce sonat verbum, mulcetque sonora
Vox Latii, quae corda trahens spiramine, sensus,
Affectusque regit, vel tamquam missile telum
Illabens animis, torquet, miscetque, trahitque,
Et quatit, et complet sacra formidine pectus.
Insuper et nostri reparas dum jurgia saecli,
Ut studia, atque artes possint in honore vigere,
Est quoque summa tibi laus; atque ego corde animoque
Sentio jam captum, et junctum tibi foedere amoris,
Et penitus tua scripta manent sub pectore fixa.

(1) Fac ultro, lector benevole, legas atque iterum legas Thomae Vallaurii Acroasim de Italorum doctrina a calumniis Theodori Mommsenii vindicata — Augustae Taurinorum ex officina Asceterii Salesiani. An. M DCCC LXXII, et merito huic opellae appones

Vindex Vallaurus nominis italici!